ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri Dno

Constantino Hugenio

S. P. D.

Domine,

Inambulabam ut soleo, hodie in Horto, cujus impenso sane studio feror, cumq; in ipso aditu oculos circumtulissem vago quodam et curioso adspectu, miratus aliquamdiu elegantiam, cultum, amoenitatem loci prae quo Adonidis omnes Alcinoi et Tantali et Hesperidum quos fabulae, Cyri Semiramidis aerij pensilesq; Massinissae Tarquinii Catonis Censorii, Lucullii, Syllae quos indubiae fidei historiae hortos loquuntur, nugae videbantur et imagines umbrarum; coepi aliam rem ex alia, simul stadium quoq; studiorum animo agitare: Quid multis? Equidem fateor, (ut quisquis homuncio, plurimum vero juvenis sibi in rebus nihili blanditur) percommodam perbrevem perutilem perdiscendae Latinae linguae rationem excogitasse impendio meum exsultans gloriabar: quippe quod ad rem Historicam, et Oratoriam et caetera, de hisce dudum prudentia tua constituit ipsa, ac omnia pulchre procedunt;) et facere eo, praeter themata quod planum quotidiana quam maxime Comenii Janua videbatur, cujus si caput vel unicum inter deambulationes in quibus cum jussu tuo, tum studio crebri sumus, ludendo ac quasi aliud agens examinavero, simul promissis praemiolis ut se vicissim invicem examinent hortatus, facile perfici posse, quod optamus, plane persuasum habeo:

ita nimirum ingesserint se, usque ac si fieret illius potius esset quam ingenii, quae alii Musaeo ipsi tanquam Caucaso alacriter infixi affixi et circa corticem consudescentes, labore pertinaci inexhaustis vigiliis aegerrime consequuntur. Accederet quoq; examinationi illi quam dixi mutuae studium vincendi praemiolis praesertim stimulatum; In rem denique cumprimis meo judiciolo fuerit si Voorburgum saepe, et per omnes omnino officinas, Nobil. commilitones iverint. id ni fiat, si maxime omnia noverint ad unguem recitare vocabula, parum admodum, itidem ut vulgo fit, profecerint. Frequentissime enim in rerum praesentiam ducti cui communiones nomen latinae sciant, rogati quid sit haereant haud raro, nec proprio designare verbo queant. Quod vel viderint nunquam vel aut nulla aut obscurior fere in authoribus vocum sit explicatio, ad hanc illud non aliud exprimendi, ignorent. Habes conatum nostrum, Domine, qui aliquando voti compos fuerit, sive probabitur, sive corrigetur. Interim Deo O. M. teque Rempubl. meque post illum tibi, humillime commendo

A. V. devotiss. cliens

Hagae-Com. vi. Kal. Quintil. cIↄIↄcxl.

Henricus Bruno.

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2423

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2423

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2423

Myn Heer,

Mijn Heer
Constantinus Huijgens Ridder
heer van Zuylichem &c.

Tot Leyden

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2423